

121

HUMANISSIMO, IVXTA AC ORNAMENTISSIMO VIRO D. GREGORIO VERNBERGERO, REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS, EIUSDEMQUE CLARISSIMI PRINCIPIS, AC DOMINI, D. IOHANNIS LVDOVICI AB HAGEN, TREVIORVM ARCHIEPISCOPI, SACRI RHOMANI IMPERII ELECTORIS, &c. A STUDIJS, A SACRIS, & A CONCIONIBUS DIGNISSIMO, AMICO SUO SINGULARI, IN NOUAM MAGISTERIJ DIGNITATEM, EIUSDEMQUE INSIGNIUM RECEPTIONEM,

GEORGII THEANDRI

Sacrifici Congratulatio.



Mea, quæ longo siluisti tempore, Musa
 Rumpe moram, capias tinnula plectra Lyræ.
 Iamque diu abiectas Citharas reuocare memento,
 Threicia carmen pange Thaleia Chely.
 Quod caneres, deerat, nunc nostra silentia culpet
 Gregorius, sua si facta referre neges.
 Quem celebris Vernberga tulit genitricis ab alio,
 Et Treuerensis ager lumen habere dedit.
 Gregorius celsi uigilans Helyconis alumnus,
 Pierijque Chori magnus amator erat.
 Gregorius Phœbi numen comitatus, amoena
 Heidelbergam adiit, limina sacra Dei.
 Gregorius dulci literarum captus amore,
 Erudit ingenium hoc artibus omnigenis.
 Gregorius castæ meditatur uerba loquelæ,
 Est sermonis huic maxima mundicias.
 Gregorius mentes hominum rapit ore diserto,
 Tullius ut modica resuperarit eum.
 Gregorius, quæ sit diuina Platonis imago,
 Perdidicit, rerum semina prima sciens.
 Gregorius refugos clari tenet Aetheris orbes,
 Que pluiae sit, quæ promptæ causa niuis.
 Gregorius CHRISTI summa pietate sacerdos,
 Pura sacrificat thura Sabæa manu.
 Gregorius magniloquitur mandata Tonantis,
 Eruit hic legis Dogmata sacra nouæ.
 Gregorius Mosi tabulas, sanctosque Prophetas
 Exponit, fandi uiribus ipse potens.
 Gregorius nuper qua mouerit arte popellum,
 Istius resonant ampla theatra loci.
 Gregorius uarios populos lustrauit, & urbes.
 Semper hic inueniens commoda plura sibi
 Gregorius sedenim celebrandus laude perhenni,
 Quem clari recipit Principis aula uirum.
 Gregorius tepidis Mystes sacratus ab aris
 Principis existit, Pontificisque pīj.
 Gregorium fouet hunc pater, & Præfus Treuirorum,
 Magnanimus princeps, Pontificumque decus.
 Cuius Rhomulidum uotis electio regis
 Stat, subit Imperij munia dura sacri.
 Magna Trebatinae Ludouice ò gloria gentis,
 Incolumen populi, præsidiumque tui,

Quis genus (ut par erat) numeris celebrabit auitum?
 Quis satis extollet nobile stemma tuum?
 Carmine quisque tuæ recinet præconia laudis
 Digno? quis referet fortia facta tua?
 Si Citharam nostram quateret nunc doctus Apollo.
 Haud posset laudes commemorare uiri.
 Consilio magnus, nulli pietate secundus,
 Maximus Astræa cultor, amansque boni.
 Amplis munericibus doctos alit, ipse Marones
 Excitat impensis, ó pietatis opus.
 Gregorij mores talem meruere patronum,
 Et uirtus præstans, inclita uitæ quoque.
 Gregorius magno Domini complexus amore,
 Quoniam Musas, litterulasque fouet,
 Mittitur Anglipolim, capiens stipendia larga,
 Denuo contemptas ut petat Aonidas.
 Gregorius properanti animo, summoque labore
 Neglectas repetit pernigil usque Deas.
 Gregorium studiose puer seclare Magistrum,
 Illius exemplo docendus adhuc.
 Dum sinit hæc etas doctos euolue libellos,
 Pellito torporem, desidiaeque malum.
 Pocula uirtutis pestem contemne falerni,
 Perdit amor uini corpora, nomen, opes.
 Quin mage te capiat Pimplæ forma puellæ,
 Sic tibi cum rebus fama perhennis erit.
 Gregorius meritos uirtutis adeptus honores,
 Præmia ludis habet nunc, Titulosque suæ.
 Dicite io pueri, patres io dicite pæan,
 Io, lux ista uiro digna braueia tulit.
 Gaudeo te fructus, studijs cœpisse petitos,
 Gaudeo uirtutum præmia clara dari.
 Gaudeo, quod caput insignis nunc Laurea cingat,
 Gaudeo, quod fœelix luxerit ista dies.
 Sed cessare time, cæptos nec desere gressus,
 Gregorium porro non uigilare nephas.
 Gregorij Magni merito tu nomen habebis,
 Christiadum pascasi uigilando gregem.
 Salve, facque tuo nos commendare labores
 Pontifici, salve, perpetuumque uale.

СЕОКОГИ ЛИДЕРДБІ
in таңынан Мәдениеттің ойнандағы мәдениеттің
ПРЕДЛОГІСЫ жаңынан ойнандағы мәдениеттің
АДАМ НАЧЕМ, ТУЛІКОН НІЗЕРДІКЕРДІң бірінші
жыныс ЧАРГІСТО болашақтағы Гурьев қаласынан
Д. СВЕРОГО НЕУЛАРБЕКО, КЕЛЕРЕН-
АВАМІСІМО, ТАХІАСАГО